Q. D. B. V.

SCHEDIASMA

QUO

TRIVM SCHOLARVM

NATVRÆ JVRIS ET ARTIS

IMPERATIVVS

DISCE LOQVI



EXPLANATVR

ET

SVB PRÆSIDIO

DOMINI

DN. CHRISTIANI REINECCII

SER. DVCI SAXO-QVERFVRTH. A CONSILIIS ILL. AVG.

RECTORIS ET P. P. MERITISSIMI

DOMINI PRÆCEPTORIS SVI ÆTERNO PIETATIS AC OBSERVANTIÆ CVLTV DEVENERANDI

IN

ILLVSTRIS AD SALAM AVGVSTEI

AVDITORIO MAJORI

D. XXI. SEPTEMBR. A. R. S. M DCCXXIII

AMICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI EXPONITVR

A

RESPONDENTE AVTORE

CAROLO AVGVSTO JVSTO

DRESD. MISN.

LEVCOPETRÆ, LITERIS G. A. LEGII, AVL. ET AVG. TYPOGR.

ABITE
LEVES SCHEDULÆ;
ABITE IN CONSPECTUM, VOLVMINI
AD PEDES
VIRI ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMI, DOMINI,

DOMINI JOHANNIS GEORGII MENII,

DYNASTÆ IN SCHEVBENGROBSDORF
ET OBERNESSA,
SER. DVCI SAXO-QVERFVRTH. A CONSILIIS
INTIMIS ET CONSISTORII PRÆSIDIS
GRAVISSIMI,

ATLANTIS HVJVS DVCATVS,
AC DEXTRÆ SERENISSIMI.

TIMETIS?
EJVS TREPIDATIS PRÆSENTIAM?
JVSTVS TIMOR; ÆQVVS METVS.
INANES PLAGVLÆ
SAPIENTISSIMI VIRI OCVLOS FERIVNT;
DOCTASQVE PIERIDES,
QVIBVS AVRES EJVS ADSVEVERVNT,
GRACILIS MEA MVSA INTERSTREPIT.

SED


SED
ALTISSIMÆ CEDRI VIRGVLTIS VMBRAM NON DENEGANT.
ILLVD IGITVR MVSARVM PALLADIVM,
VOBIS MVRVS AHENEVS ESTO
ABITE IGITVR
OB ID SOLVM DILECTÆ SCHEDVLÆ,
QVIA TANTVM NOMEN VOS EXORNAT.
FESTINATE,
ET CVM DEVOTISSIMO VOTO
ÆTERNÆ FELICITATIS,
INCOLVMIS VITÆ
PERENNIS FORTVNÆ,
ET SECVNDISSIMORVM
PRO SERENISSIMI DVCIS ET PRINCIPIS SALVTE
VT ET
SVBDITORVM INCOLVMITATE
CONSILIORVM,
SVMMI MÆCENATIS
SVMMO FAVORI
VOS HVMILLIMA COMMENDATIONE INSINVATE
PARITER AC
AVTOREM VESTRVM,
VESTRI FAVTORIS
CVLTOREM OBSEQVIOSISSIMVM AC DEVIN-
CTISSIMVM,

CAROLVM AVGVSTVM JVSTVM.

Con-

Conſpectus Schediaſmatis

PRO-



PROOEMIUM.



Ugustissima inter opera, quibus sapiens Sapientissimi Creatoris manus hunc orbem instruxit & ornavit, homo primum summo jure tenet locum. Ille est, in quem beneficum Numen quasi in centrum omnia congessit ornamenta. Venustissimum e pulvere corpus exstruxit, singulaque membra singulos articulos summa arte & mira sapientia conjunxit, & spiraculum vitæ Divini spiritus halitu operi huic indidit absolutissimo. Et quid tandem in homine est, quod maximam non mereatur admirationem? Reliquas tamen inter dotes, quibus homines etiam in stâtu flebilis illius per lapsum corruptionis pollent, duæ sunt, ceteris palmam præripientes, Ratio *nimirum &* Oratio. *Nonne enim illud summum decus summum ornamentum mortalibus afferret, quod homines reddit homines? Ratio mentis conceptus format, & motus atque humanas omnes dirigit actiones. Oratio animi cogitata aliis manifestat, & suavi gratoque sermone jucunda quasi ex statua promanante hominem*

sistit loquentem pariter ac instruentem alios. Humanæ vero illa duæ facultates eo sunt insigniores, quo arctiori nexu inter se continentur. Quid itaque mirum à Cicerone, *eloquentiæ patre, jam pridem suis temporibus* Rationem *atque* Orationem *conjungi, quippe qui L. I. Offic. c. 16. posteritati hæc verba reliquit:* Societatis humanæ vinculum est ratio atque oratio; *atque a* Philone *in Op. p. m. 178. Sermonem* Ἀδελφὸν διανοίας, mentis fratrem *appellari, eundemque* Ciceroni *l. I. de Interpr. c. 1.* animi interpretem *dici, & Senecæ audire* mentis imaginem, *cum ipsa vetustas in excogitandis nominibus rationem & orationem Ebraica Græcaque lingua per* דבר *&* λόγου *voce eadem nuncupare consueverit. Sermo animæ intelligentis nuncius est, quo alteri quid sentiamus aperire, rationem exercere, aliorumque ex loquela acuere valemus. Hæc duo sola vitæ hujus miseræ existunt solamina: Ratione a brutis distinctos nos ipsos sentimus Deumque agnoscimus: Ratione & oratione DEUM colimus, & nostræ aliorumque egenæ vitæ succurrimus. Taceo quod* Menander *non abs re olim dixit:* λόγος ἐςὶ λύπης φάρμακον μόνος. *Solus sermo est tristitiæ medicamentum. Ecquidnam ratio esset sine oratione? Quod tuba absque sono. Omnes sane naturali instinctu proni ferimur ad loquendum, quocunque illud fiat modo. Nec tamen ullus distincta edere potest verba, nisi qui ratione est instructus, cujus beneficio sonorum differentiam ponderare & pro eorum varietate diversis vocibus, quæ vult, proferre valet. Meridiano igitur sole clarius ex illis, quæ diximus, apparet, quod, cum ratio brutis animantibus non competat, neque oratio iisdem sit concedenda. Sunt equidem multi, qui cum* Philomelæ autore *aliisque Psittaco, cum* Oppiano *Elephanti, cum* Muhamede *avibus & cum* R. Salomone *serpenti naturali in Paradiso linguam articulatam tribuere non erubescunt. Quid, quod tantæ fatuitatis mortales fuerint reperti, qui, præeunte* Plutarcho, *gravissimo auctore,*

ctore, in libro περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι, quod bruta animalia ratione utantur, omnem movent lapidem, ut, quod hominis proprium eſt, animantibus rationem adſcribant & intelligentiam. Sed, quascunque etiam pro hac opinione ſua adducant obſervationes, non ſunt niſi meræ in animalibus noſtræ rationis adumbrationes & ſermonis noſtri imagines, quas in vivis brutorum imitationibus adeo ſuſpiciunt. Videatur Steph. Morinus in Tr. de Lingua primæva p. 13. ſqq. Nathan. Falck. diſp. pec. de Diſcurſu Brutorum. M. Mart. Lipenius in Biga Probl. Phyſ. probl. 2. &c. Illud certum eſt, ſolum hominem fuiſſe creatum ratione præditum; & cum ſermo ab indito naturali ſenſu ſit æſtimandus, nunquam ſane tam perverſæ mentis erimus, ut illud, quo inter viſibiles creaturas homo ſolus gaudet, brutis aſſignemus animalibus. Quanto autem majoris momenti humanæ hæ duæ facultates exiſtunt, tanto major cura videtur adhibenda, ut, quod natura conceſſit, doctrina & arte excolatur. Huc præclarum illud ducit monitum: Diſce loqui, quod Germanorum Eloquentiæ anteſignanus, Chriſt. Weiſius ſemper in ore habuit, quodque ab Honoratiſſimo Parente meo, qui Viri hujus celeberrimi fideliſſima inſtitutione per aliquot annos in famigeratiſſimo Zittavienſium Gymnaſio fuit uſus, accepi, & tanti ſemper feci, ut & impræſentiarum dignum judicaverim, quod pro modulo virium mearum in ſchediasmate hoc levidenſi conſiderarem uberius & explanarem. Trium ergo ſcholarum Naturæ, Juris & Artis Imperativum: Diſce loqui, Tibi, Candide Lector, tenui hac Diſſertatione ob oculos pono, atque rogo, ut, quicquid hoc eſt opellæ, in qua meas qualescunque ingenii vires experiri volui, pro candore & favore Tuo æqui bonique conſulas. Deum etiam Optimum Maximum prece devota precor, ut, quam ab Ipſo accepimus, mentem atque linguam ita regat & omnia dirigat, quo in Sanctiſſimi ſui Nominis gloriam vergant!

A 2 Ante-

§. 1.

ANtequam quod proprium eſt noſtri inſtituti ordiamur, videntur aliqua eſſe præmittenda, quæ circa vocum explicationem ſcitu ſunt neceſſaria, ut omni ambiguitate ſublata B. L. mentem noſtram plane poſſit perſpicere. Huic tamen labori non diu immorabimur, cum omnia tituli noſtri verba perſpicua ſint, & aliunde jam ſatis conſtent. Circa primariam tantum vocem pauliſper ſubſiſtemus, quæ nobis, eſt: *Loqui.* Loquela, ſi quidem in genere conſiderare eam velimus, eſt *actio Naturæ intelligentis, qua iſta mentis ſuæ cogitata alteri communicat.* Speciatim vero ſi genus humanum intuemur, ipſe uſus nos docet, inter homines communiter iſtam communicationem fieri *prolatione ſermonis articulati per certa organa interna & externa oris atque vicinarum partium.* Juxta generalem illam deſcriptionem Loquela etiam DEO, Angelis & Animabus a corpore mortis inevitabili fato ſeparatis attribuitur. Scripturarum teſtimonia paſſim obvia ſunt. In ipſa creatione hujus univerſi DEUS introducitur locutus Gen. I, 3. ſqq. *Et dixit DEUS: Fiat lux.* Multæ quidem multorum & variæ in hunc locum extant commentationes, quas celeberrimus Scripturarum interpres *D. Sebaſt. Schmidius* Diſp. I. ad h. l. p. 12. ſeq. collegit: Ipſe autem docuit, proprie illa verba eſſe accipienda. Multo magis hoc arbitrandum eſt in locis Scripturæ aliis, in quibus locu-

locutus DEus commemoratur præcipue sanctis DEI hominibus, scilicet immediate mentem illorum illuminando, iisque suam voluntatem revelando sive vigilantibus, tum in visione ecstatica, tum sine visione, sive dormientibus in somnio. Quo & refertur locutio DEI per Urim & Thummim, quando DEus sacerdoti summo ornatu hoc sacerdotali induto voluntatem suam per inspirationem interiorem revelavit. Vid. *S. Schmidius* Disp. pec. §. 20. conf. *Pfeifferus* in Dub. Vex. p. 244. & quos Autores alios allegavit. Alia vero locutionis Divinæ ratio est, quando Deus exterius in assumta forma humana, ut ad Abrahamum aliosque sanctos viros, aut sine visibili specie formata in aëre voce, quasi cœlo delapsa, locutus est, quod genus loquelæ Divinæ Ebræis בת קול Bath Kol, Filia Vocis dicitur & hæc pro eo allegantur Scripturæ loca Gen. III. 8. 1. Sam. III. 5. Exod. XIX. 19. XX. 16. Matth. III. 17. Joh. XII. 28. Matth. XVII. 5. Act. IX. 4. seq. Quo de plura legi poterunt in *Joh. Henr. Heneri* Disp. de בת קול s. de Filia Vocis & apud *Campegium Vitringam* Obs. Sacr. L. VI. c. 10. p. 360.

§. 2.

Sed in his omnibus angelorum intercessisse ministerium & DEum non nisi mediate per angelos, & nunquam immediate hominibus, sed soli Filio sic immediate locutum esse & forte Apostolo Paulo, Arminiani securius asserunt, quam probant, V. *Episcopius* T. I. Op. p. 14. *Limborch* Th. Christ. p. 198. & à Theologis nostris passim refutantur. Nec tamen de Angelorum locutione imminuuntur Eruditorum contentiones. *Greg. de Valentia* in Comment. Theol. T. I. p. 1514. sex modos commemorat locutionis Angelicæ, totidemque ex *Arriaga* recensuit *Casp. Ebelius* Op. Philosoph. p. 639. Prima sententia asserit, eos ad invicem loqui per signa corporalia, quæ forment in aëre aliove corpore vicino ei, cui loquantur. Secunda arbitratur, signa illa esse spiritualia, producta

per volitionem loquendi. Tertia, locutionem fieri per productionem immediatam cognitionis in intellectu audientis. Quarta fieri ſolum per actum reflexum, quo cognoſcit, ſe velle alteri, cui loqui vult, actus ſuos manifeſtare. Quinta, fieri per productionem ſpeciei in angelo audiente ejusque receptionem, quia actus illi liberi de ſe poſſint producere ſpecies ad extra,caſu, quo id permittat illos actus habens. Sexta, eſſe voluntatem manifeſtandi ſuum actum alteri, ad cujus intuitum DEus producat ſpeciem de eo actu in Angelo audiente, cuique alter vult manifeſtare de novo, vel etiam audiens ad hoc ipſum utatur ſpecie ſibi congenita ab inſtanti creationis. Ex his ſententiis tam Pontificii quam alii repudiatis reliquis quintam vel ſextam communiter amplectuntur Vid. *Greg. de Valentia* l. c. *Becanus* T. 1, Op. p. 107. Sic *probabilius*, inquit *C. Donatus* Inſt. Pneumat. p. 460, *eſt, angelum loqui imprimendo alteri ſpeciem, cui loqui intendit.* In qua ſententia fundamenti loco præſupponitur, quod nondum extra controverſiæ aleam eſſe videtur aliis: Spiritum immediate poſſe agere in alium Spiritum abſentem & operari in ejus intellectu, qua de re, qui Metaphyſicis delectatur ſpeculationibus,volvere et revolvere poterit *Kil. Rudrauffii* Inſtit. & Deciſ. Metaph. p. 934. Sextæ porro opinioni accedit *Gürtlerus* Inſt. Theol. c. 6. §. 47. & 48 p. 110. ſq. & *M. Chriſt. Wolffius* in pec. Diſp. de Loquela §. 11. p. 8, quod non aliter ſpiritum agere in Spiritum poſſimus concipere, quam quod ad ipſius voluntatem ponatur effectus in altero Spiritu dependens a DEO tanquam a cauſa generali, ex lege quadam apud Angelos naturali & univerſali, quæ in malis ſpiritibus mala inter ſe loquentibus ſervet DEUM liberum a culpa mali, æque ac generalis, qui vocatur, DEI concurſus. Attamen ſupra laudatus *Rudrauffius* l. c. p. 936. difficultates arctiſſimo nexu huic ſententiæ conjunctas vivis coloribus delineavit, advertens fruſtra in operatione naturali cau-

ſæ ſecundæ recurri ad cauſam ſolum primam, cum ſic DEus loquatur, non angelus, & locutio illa non ſit in loquente, ſed per impreſſionem ſpeciei in audiente; id quod pariter notandum occurrit, ſi angeli DEo loqui dicuntur *dirigendo ſcilicet cogitata ſua in mente ad Deum;* hoc modo Deum laudando, admirando aut aliquid deſiderando vel commemorando. Hominibus autem angeli loquidicuntur per ſpecies intellectui oblatas, aut qualicunque modo impreſſas. Alia autem ratio eſt, quando angeli aut per phantaſmata phantaſiæ objecta hominibus in ſomniis apparent, iisque loquuntur, ut factum eſt Joſepho Matth. I. 20. ſeqq. II. 13. ſqq. 19. aut per apparitiones in aſſumtis corporibus Gen. XIX. 2. ſeqq. Dan. VIII. 15. IX. 20. Luc. I. 11. ſeqq. 26. ſeqq &c. aut etiam ſine illis per articulatas voces in aëre formatas loquuntur Luc. II. 14. &c. licet nec hæc ſatis a nobis explanari poſſint. Sed quid prodeſt omnia ſcire? Quis poteſt omnia noſſe? *Auguſtini* igitur verba in Enchirid. Cap. LIX. T. III. Op. p. 173, Ed. Baſ. noſtra facimus: *Quid opus eſt, ut hæc atque ejusmodi affirmentur vel negentur vel definiantur cum diſcrimine, quando ſine crimine neſciuntur?* Patet ex ſcripturis, quod loquantur Angeli, & eorum perfectio, ſocialitas & miniſteria illud inferunt. *Quomodo autem id fiat, non exiſtimo, naturali ratione ſatis conſtare*, verba ſunt *Scheibleri* in Op. Philoſ. L. II. Metaph. c. 4. fol. 13. a. 2. n. 218. p. 155.

§. 3.

Idemque de animarum a corpore ſeparatarum loquela nobis eſt dicendum: Quippe cum animarum ſtatus angelorum ſtatui ſit ſimillimus Luc. XX. 36. ſane nec modus loquendi disſimilis concipitur. Vide ſis *Rudrauffium* l. c. p. m. 1001. Interim tamen nullum eſt dubium, quin poſt reſurrectionem locutio per organa hominibus propria ſit futura: Quam beatam beatorum locutio-

nem

nem ante Dei solium pie anhelantes, adhucdum mortalem agimus vitam, de humana locutione qualis in hac vita inter homines obtinet, differere constituimus, seposita loquela alia omni, sive sublimiori, sive humiliori, etiam abusive & improprie sic nominata. Ordine tamen cum nihil in opere jucundius sit, nihil utilius, & ex *Xenophontis* judicio in Oecon. p. 141. Οὐδὲν οὕτως οὔτ' εὔχρηστον οὔτε καλὸν ὡς ἡ τάξις: per tres Scholas nimirum *Naturæ Juris* & *Artis* ibimus, & Imperativum: *Disce loqui* explanabimus.

CAP. I.

Sistens Imperativum DISCE LOQUI in Schola Naturæ.

§. 1.

AD veram locutionem humanam, in qua cogitata signis vocum, quæ significandi vim habent, & apte conjunguntur & articulate proferuntur, tria in natura humana concurrere inter omnes constat, *Rationem* scilicet, *Potentiam locomotivam* & *organa* ad loquelam sapientissime ordinata atque comparata.

§. 2.

Rationis nomine Philosophis illa in homine facultas animæ venit, qua anima non tantum plures res potest intellectu apprehendere, easdem cogitando & distincte super conceptus nostros reflectendo, inter se componere aut dividere, ex iis novas notiones efformare, apte inter se conjungere, quæcunque porro agenda vel fugienda sunt ad normam a DEO constitutam judiciose exigere, recta eligere, & congruis mediis ad præstitutum finem referre; sed qua etiam animi sui sensa exterius aperire aliis & cum aliis communicare instituit. Rationem vero ad loque-

loquelam requiri exinde constat, quia nemo loqui potest de re quam intellectu non apprehendit & concepit: Unde etiam in infantibus crescente usu rationis linguæ usus crescere consuevit.

§. 3.

Proxime nobis considerandа occurrit *potentia locomotiva* consistens in fibrarum atque musculorum motu & contractione proveniente ab influxu spirituum animalium aut liquidi cujusdam per nervos atque arterias advecti: Quorum motuum alii involuntarii sunt, alii voluntarii, prout scilicet arbitrio mentis existunt obnoxii vel secus. Inter motus voluntarios partium corporis *Loquela* primo loco consideranda venit, cujus mirandum processum una cum *Organis* ad loquelam necessariis nitide elocutus est *Joh. Fr. Buddeus* Element. Phil. theor. p. 89. & per singulos fere sonos & tonos deduxit *Joh. Wallis* in tract. de loquela s. sonorum formatione, præfixo Grammat. Anglicanæ p. 2. sqq. Ex illis itaque nullo negotio colligitur, potentiam loquendi una cum organis loquelæ hominibus propriam esse & necessariam ad articulatas voces formandas, conjungendas & suaviter efferendas quibus, tanquam signis, suos sibi invicē conceptus communicant.

§. 4.

Hæc stupenda sunt dona, hæc miranda organa, quibus in ipsa Creatione DEUS hominem, ad sui imaginem formatum, sapientissime exornavit. Quippe in statu integritatis omnes animæ facultates summa gaudebant perfectione; Potentia loquendi eximia pollebat præstantia; & quis tandem in organis esse potuit defectus? cumque Deus & natura nihil frustra faciant, finis, quem naturalis ad loquendum instinctus arguit, latere non potuit. Deus ubique præsens & in omnibus suis operibus maxime conspicuus, & summopere laudandus in hac Schola Naturæ ipse Doctor existit æque & autor. Vastissima Summi Numinis

opera Adamo, quocunque oculos verteret, quasi acclamarunt: *Disce Loqui.* Intellectus Adami apprehendebat, quod oculi videbant. Cœli DEI gloriam enarrabant Pf. XIX. 1. astraque matutina laudabant Dominum & omnes filii DEI vociferabantur Job. XXXVIII. 7. sanctissimum scilicet Creatorem manifestando & celebrando: Quid ergo? An Creaturarum absolutissima, homo, taceret? an ille, qui a munificentissimo Conditore facultate & organis ad loquendum instructus erat, magis mutus esset, quam piscis? Quis illud cogitet? Omnia, quæ natura ad loquendum requirebat, ut ex prioribus patuit, promta aderant & expedita. Quid? quod etiam illa loquelæ requisita a DEO ad certam aliquam linguam, Ebraicam putamus fuerint inclinata. Ebraica enim lingua usus DEUS creavit lucem, lucem appellavit אור, אור vocavit יום &c. Gen. I. 3. sqq. Ebraica lingua DEUS cum hominibus sermones miscens & homines cum DEO loquentes frequenter in S. Literis usi leguntur. DEUS enim ipse, qui facultatem percipiendi creavit, fecit, ut DEUM loquentem audirent & intelligerent primi parentes, non quidem, quod nonnullis arridet, linguam omnibus numeris perfectam homini infundendo, sed suggerendo, quæ videbantur facere ad sermonem minori labore edendum & intelligendum.

§. 5.

Ille DEI & Naturæ intelligentis motus & instinctus fuit, quo Adam impulsus animalia & alias quoque res, quarum notitia ipsi successiva eveniebat, nominibus distinxit, quæ nomina deinde succedente summa consensione Evæ & imitatione posterorum usque ad linguarum confusionem fuere retenta. Cum enim primi parentes Adam & Eva in statu integritatis eadem incorruptæ mentis perfectione polluerint, perfectissimos, verissimos & eosdem sibi de rebus formaverint conceptus, quos pro rerum qua-

qualitate convenientisſimis ſignis & verbis in lucem ediderunt. Nemini mira videbitur ſumma Evæ in nominandis animalibus conſenſio. Unus namque ſolus verus de aliqua re conceptus eſt; Accedit in primis parentibus cupiditatum ordinatio, amor reciprocus & purisſimus nullas diſſenſiones admittens, ex quo ſententiarum unitas & voluntatum æqualis in verum inclinatio provenit. Quorſum illud etiam eſt referendum, iſta ſigna ſive verba pro mentis protoplaſtorum prima integritate & inventu & pro memoriæ ac reminiſcentiæ felicitate retentu fuiſſe facillima.

§. 6.

Licet igitur ſumma ſummi Conditoris Sapientia homini & facultas loquendi & organa fuerint conceſſa, exinde tamen non urgemur, ut linguam primævam primis parentibus omni ex parte concreatam & infuſam aſſeramus, multo minus ut agnoſcamus aliquam generi humano inditam naturaliter & congenitam linguam eſſe, quæ *naturalis* jure posſit nominari. Negare quidem vix poſſumus, naturaliter hominibus naturalia ſigna eſſe vel gaudii vel doloris, riſus atque fletus &c. nec illud abnuere volumus, varias eſſe exclamationes & interjectiones, quibus populi multis terrarum intervallis & aquarum divortiis diſtincti ſingulari quadam conſenſione utuntur, qualia *Stephanus Morinus* de lingua primæva p. 27. collegit: Attamen illa pro indiciis linguæ naturalis humanæ venditari non poſſunt; Ejusmodi enim lingua naturalis articulata & plena non datur, & omnis in ejus inveſtigatione locata opera fuit fruſtranea & labor irritus. *V. Herodotus* Euterp. ſ. l. 2. & *Beſoldus* de Natura pop. p. 56. Facultas loquendi naturalis homini eſt, ſed indeterminata ad linguam uſu & induſtria acquirendam. Et quanquam *Morinus* l. c. p. 33. primam Adami linguam naturaliter ab ejus induſtria fluxiſſe neget, eamque divinitus Adamo infuſam eſſe adſerat, quæ ſententia et-

B 2 iam

iam aliis arridet Vid. *Sennertus* de Ebrææ Linguæ Origine p. 11. *Pfeifferus* Introd. in Orient. p. 8. *Walthon* Proleg. ad Polyglotta Angl. p. 209. sq. *Leusden* Phil. diss. 17. §. 3. p. 164. *Gusset* Com. Ebr. Ling. p. 1. &c. Non tamen desunt inter eruditos, qui contrarium sentiunt; ut ex antiquis *Greg. Nyssenus* Or. 12. & ex recentioribus *Rich. Simonius* Hist. Crit. Vet. T. L. I. c. 14. 15. & Lib. III. c. 21. D. *Val. Ernestus Læscherus* de causis L. H. p. 2. & alii. Nos media via incessisse juvat, & DEO pariter, aliqua suggerenti, & naturæ intelligenti nec non industriæ humanæ nomina retinenti hac in re partes suas attribuimus. Tanta enim tamque insignia DEI in opere Creationis existunt miracula, ut præter necessitatem plura non sint fingenda & accumulanda. Quæ vero ea sit necessitas, ut primam linguam cum Judæis dicamus *creatam*? Tacet Scriptura de Idiomate aliquo primævæ linguæ protoplastis a DEO concreatæ & infusæ: eaque refert, Adamum Gen. II. 19. jubente DEO nomina imposuisse animantibus & mox rebus aliis, quæ, ad linguam recte constituendam & rite ordinandam necessaria, cum non DEUS sed Adamus dicatur rebus imposuisse, eaque nomina ex impositione Gen. II. 19. legantur valuisse; noluimus humanam industriam hic prorsus excludere, sed dicimus potius primam linguam, DEO dirigente, aliqua etiam suggerente, ab Adamo ortam, & postea partim ab ipso, partim ab ejus posteris successu temporis excultam & indies auctam esse.

§. 7.

Primam illam Adami linguam, matrem linguarum omnium, penitus intercidisse, nec ejus alia, quam in linguis aliis, superesse rudera, censuerunt viri quondam doctissimi *J. Scaliger*, *Grotius*, *G. J. Vossius*, *Ph. Cluverus*, *G. Hornius*, *H. Kippingius*, *P. D. Huetius*, & hodie *J. Clericus*: quos quidem viros, judice *Dn. D. Val. Ern. Læschero l. c. p. 14.*, non alia causa quam neglectus & ignorantia

rantia Ebraiſmi iſthuc ire compulit, peracri alias, quo excellebant, judicio facile ad veros linguarum ortus perventuros. Quique enim in orientalium linguis verſatisſimi Philologi ad unum omnes Ebræam linguam primævam agnoſcunt & propugnant, quos magno numero recenſuit *Pfeifferus* in Diſſ. pec. & *Læſcherus* l. c. eamque manſiſſe unicam in orbe, qua locuti ſunt homines, usque ad confuſionem Babylonicam Gen. XI. 1. ſq. Quod non tantũ contra *Philaſtrium* in Lib. de Hæreſ. c. 106. oſtendit *D. H. Mühlius* diſſ. de orig. lingu. p. 18. ſed etiam contra *Hermanni* von der Hardt in Ephemer. p. 54. explicationem defendit *Calvörius* in Gloria Moſis Diſſ. 5. p. 188. Iſte vero linguarum, in confuſione Babylonica exortarum, computus, quo linguæ LXX aut plures aut pauciores conſtituuntur, ex numero familiarum Gen. XI. prorſus incertus eſt. Quæ hodie in univerſo orbe vigeant linguæ pluribus proſequitur earumque diverſitatis cauſas exponit *Olaus Borrichius* diatr. pec.

§. 8.

Ab illo vero tempore diverſa ſingulas linguas fata expertas eſſe inter omnes conſtat, dum aliæ ætatibus aliis viguerunt, aliæ ignorantia & barbarie penitus abſconditæ jacuerunt. Ut felix credatur præſens ætas, in qua non extraneis tantum linguis ſumma opera ſummum ſtudium ſolet impendi, ſed in qua vernacularum quoque linguarum amor & cultura ſummum faſtigium attigiſſe videtur, dum quælibet gens vernaculi ſermonis intenſisſimo amore ita tenetur, ut vernaculam ſuam ſæpe pro primæva habeat. De qua re uberius *Morhoff* in Polyhiſt. L. IV. c. 3. p. 19. ſqq. Quicquid vero hujus ſit, longe nihilominus felicior illa hominum conditio exiſtimatur *D. Mühlio l. c.* cum una tantum viguit lingua. Sic tempus lucrati ſunt mortales, ſine ambage in plures ſcientias & artes penetrandi & utiliora tractandi. Illa quippe

 beatiſ-

beatissima ætate, qua nulla linguarum diversitas in usu erat, homines non nisi uno sermone societatem jungebant ac fœdera; nullo linguarum cultu indigebant, quo præparentur animi, nec scientiarum consecranei, quod hodie seros usque in annos eos fatigare solet, longinquo itinere & circujtu per linguarum ambages viam tenere cogebantur, ut tandem, illis multo sudore peractis, seri, fessi & labore tantum non defatigati qualemcunque scientiarum metam attingerent.

§. 9.

Præterea cum ad loquelam etiam Scriptura referri soleat, operæ pretium esse videtur, pauca de hac adjicere. Inventor ejus non sine omni ratione a plerisque ipse primus homo Adamus prædicatur, qui eodem naturæ & instinctu & beneficio summaque industria literarum characteres invenerit. Quosnam vero characteres, an hodiernos Ebræos, aut iis similes aut prorsus alios non facile quis determinaverit, nedum probaverit. *Quis*, ut *Morhofii* verbis l. c. p. 9. utamur, *in tanta rerum ultima antiquitatis caligine certi aliquid sine hæsitatione ausit proferre?* Cupidum lectorem de Alphabetis hypobolimæis, quæ Adamo tribuuntur & hujus generis aliis, si qua legere velit, remittimus ad *Th. Bangii* Cœlum Orientis s. Exercitationem de ortu et progressu literarum.

§. 10.

In hodierna vero linguarum & literarum amplitudine noster Imperativus: *Disce Loqui;* pro cujusque conditione, & pro vitæ, studiorum & negotiorum ratione latissime se diffundit. Cum enim homo ζῶον πολιτικώτατον sit & esse debeat, eique inter alios populos versandum sæpe sit & negotiandum, præter vernaculam eidem aliæ aliarum gentium linguæ commendatissimæ esse debent, prout hæc sors in toga & sago cuique obtingit. Ante omnia

omnia tamen, cum amor patriæ homines inde ab incunabulis sua jucunditate alliciat, patrii quoque sermonis ratio præcipua erit habenda. Quid enim, Candide Lector, commodi affert, ædificium ruinam minitans multis excolere ornamentis? Quid prodest, peregrinis linguis sedulo addiscendis operam navare, vernaculam vero negligere. Quare illæ societates omni laude dignissimæ sunt reputandæ, quæ ad vernaculas linguas excolendas & a barbarie vindicandas institutæ sunt. Nec fructu suo caruit *societas illa frugifera*, quam quondam DIVUS AUGUSTUS, *immortalis memoriæ Princeps & nostri Augustei Fundator munificentissimus*, ornavit tanquam membrum augustissimum. Hoc laudabile institutum hodie in Gallica Lingua exornanda & perficienda prosequuntur Parisienses: & illud apud Germanos ut Regum & Principum cura restauretur, eo magis optandum est, quo magis barbaries in peregrinis vocibus nostram vernaculam conspurcat & commaculat.

§. II.

Attamen literarum cultori post vernaculæ culturam præcipue studendum est, ut latinas literas probe addiscat, & in hac lingua omnes nervos viresque intendat. Illa enim hodiernis temporibus tot regiones pervagata est, quibus terrarum orbis maxima pars absolvitur. Illa est commune vehiculum scientiarum & necessarium adminiculum. Deinceps videndum, quid peculiariter studia, sive Philosophica, sive Theologica, sive Juridica, sive Medica postulent; quid negotia Historica, Politica & Aulica requirant; quid peregrinationes & legationes, quid commercia aliæque negotiationes in terris peregrinis suadeant; quomodo hodie Polonus Saxoni & Saxo Polono acclamet: *Disce Loqui;* atque ita in aliis terris & regionibus lingua, quæ uni

opus

opus non eſt, alteri videbitur neceſſaria & ſummo ſtudio diſcenda atque excolenda.

Caput II.

Explanans Imperativum: *DISCE LOQUI* in Schola Juris

§. 1.

AMpliſſima in Schola Juris hominibus obverſatur ad loquendum obligatio, ad quam noſter ingeminatur Imperativus: *Diſce Loqui*. Primo omnium obligamur DEO ad honorem tum in mente concipiendum, tum externo quoque actu & præcipue devoto ſermone deferendum; Et fluit iſte honor DEO debitus ex duplici relationis fonte, *Excellentiæ* nimirum & *Dependentiæ*. Utraque ad pium DEI cultum nos obſtringit: Illa quidem *Excellentiæ* relatio laxior eſt & libertati magis, quam altera relicta; Hæc vero *Dependentiæ* priori vim addens & coactionem, plene nos Divinæ voluntati ad obedientiam & honorem Ei exhibendum ſubjicit. Quid? quod vel ſola cognitio exiſtentiæ & naturæ Divinæ per ſe ipſam mortales ad illud debitum rite exſolvendum compellit. Homo ſibi injuriam fieri arbitratur, ſi ejus virtutes ſuo non æſtimentur merito: Quid putabimus, DEO fieri, & quomodo Summum illud Numen ferre poſſit, ſi miſera hæc terra & pulvis honorem, quo infinite dignum eſt, Illi audeat denegare? Ipſa res loquitur, poſtulans, ut eam virtutem Divinam, quæ infinita excellentia nos infinite ſuperat, admirando & adorando ſuſpiciamus, ejusque veneremur præſentiam, modis, quibus ipſi placeamus, omnibus, etiam antequam animum ſubeat noſtræ ab illo dependentiæ ſeria conſideratio. Hac vero accedente, accedit vis, quæ imperantis declaratur voluntate.

Nonne

Nonne enim Deus eſt, qui nos creavit atque innumeris beneficiis & corporalibus & ſpiritualibus nos cumulans, ad ſui amorem, & honorem allexit & obligavit? Nonne idem nobis ſuavi injunxit præcepto, ut ipſum laudemus, invocemus, ejusque in nomine juremus? Quomodo vero ſanctisſima ejus voluntas animis excidere poſſet, cum ipſe DEUS & hominum cordibus eam inſcripſerit, & per Scripturam revelaverit? Illa *lex* vocatur *innata*, hæc *revelata* audit; utraque ubique eſt conjungenda, illa tamen ex hac ſupplenda. Colendum enim eſſe DEUM natura omnes mortales & omnes gentes docuit: quo autem modo Deus ab hominibus coli velit, ex revelatione addiſcendum. Imperativus eſt: *Diſce Loqui;* jubet ille, ut verus DEI cultus devote, ſincere, in ſpiritu & veritate peragatur, Joh. IV. 24. ut corde credatur & ore fiat Divinæ laudis confesſio Rom. X. 10. 2. Cor. IV. 13. 1. Pet. III. 15. ut illa confeſſio oris cum corde conſonet. Matth. XV. 8. 9. Incumbit nobis, ut majeſtatem DEI animo contemplemur, beneficiorum magnitudinem ruminemur, eoque nomine illum decenti voce ac verbis majeſtati ac voluntati Divinæ congruis laudemus & celebremus.

§. 2.

Hæc itaque omnia ut recte ſe habeant, quando ad DEVM & de DEO ſumus locuturi, utque laus atque confeſſio DEI vera exiſtat, harmonia adeſſe debet ſigni ſ. ſermonis noſtri partim cum ſignato, quod noſtro inhæret animo, partim cum intellectu ejus, cui ſignum fit, & cui loquimur. Signatum in laude Divina exiſtit tum animi objectum DEUS & res Divinæ, tum animus noſter & intenſiſſimus in Deum affectus. Laudibus enim qui DEUM celebrat, ſuam quoque de illo mentem, fidem & affectum indicet, neceſſe eſt. Hæc niſi in oratione & prædicatione ubique concurrant, ita ut illa non tantum vera ſit, ſed ex vera mente

& jux-

& juxta divinam voluntatem peragatur, vana atque futilis externa omnis locutio est, & cantilenarum & precum ex consuetudine recitatio ac laudatio; nec ullo modo summo Regum Regi, qui intima cordis perscrutatur, potest probari. Qua autem ratione ad Dominum elevanda & sursum tollenda piorum mens sit, imprimis quando precationum formulæ e libris recitantur, facile quidem præscribimus, difficillime vero ipsi discimus: Attamen discendum est.

§. 3.

Disce porro *loqui*, ut & alii hoc tuo sermone ad magnalia Dei, æque pia & devota mente, agnoscenda invitentur, eque imitentur. *Disce loqui*, ut rudes tuo sermone doceantur & in recto tramite firmentur fideles. Debitum sane illud non solis Clericis & V. D. Ministris competere censeamus; sed commune illud officium est omnibus Christianis. Cumque Patresfamilias domuum capita existant, illis præcipue convenit, ut domos suas privatas constituant templa, in quibus Deus invocetur & laudetur, & domestici, liberi & servi erudiantur. *Loqui discamus*, ut ubicunque terrarum simus, nostra vocatione dignos, gratos, graves & efficaces sermones proferamus. Loquamur, ut & nos ipsi proficiamus, & qui nobiscum sunt, inter quos versamur, quique curæ nostræ sunt commissi, pio nostro, christiano & cauto sermone emendentur & ad similia studia loquendi & laudandi Deum incitentur, vel ipso nostro exemplo. Matth. V. 16. Interim ne hic forsan aliqua peccetur ratione, omnis pariter ostentatio, simulatio & hypocrisis exulare debet, & summopere cavendum est, ne laudis Divinæ confessio in sermonibus nostris propria nostra imprudentia & ambitione ac pia insuper, quam vocant, fraude, per miracula fictitia & larvas sive natalitias sive alias, in lusum & jocum vertatur. Quo quippe casu præstat tacere, ne

irri-

irrisioni & blasphemiæ aperiatur via, quam cum detrimento fidei ac pietatis loqui. Discamus tacere, ubi locus non est loquendi, nam & ipse eloquens linguæ disertæ Magister sæpe tacuit, suaque miracula evulgare prohibuit. Matth. IX. 30. XXVI. 63. XXVII. 12. 14. Marc. VII. 36. At ἀκαιρία ex offensionis & damni privati metu nulla est. 2. Tim. IV. 2. & Matth. IX. 28.

§. 4.

Hæc in sermone pietatis officia fuere & discenda, & observanda. Quemadmodum autem omnia, quæ terrarum ambitus complectitur, ad generis humani usum creata & ordinata sunt: Ita etiam homo in vita communi hominis utilitatem æque ut suam spectare & observare tenetur. Hinc in genere alii aliis inserviendo occurrant, publica commoda dando recipiendoque augeant, necesse est, ut ita mortales artibus, operis, facultatibus mutuisque officiis inter se in societate conjungantur atque contineantur. Quibus ex causis huc etiam nostrum dirigere sermonem adstringimur, ut in omnibus negotiis atque colloquiis homo homini prosit, lædat vero neminem. Tibi enim quod vis (ex fonte justitiæ) fieri, alteri etiam facias, & quod tibi non vis fieri, alteri etiam non facias; generale præceptum est regulaque communis, quæ, quoad sermonem, hanc sub se continet obligationem, ut utamur signis ad exprimenda animi sensa institutis, juxta vulgarem linguæ, in qua cum altero miscemus sermones, usum atque significatum. Illud si deseramus, læditur socialitas, & omnis confusio ubique introducitur. Integrum enim si cuique relinquitur, a communi isto loquendi usu, quandocunque sibi videtur recedere, & rebus nova citra necessitatem imponere nomina, quis, quæso, de alterius mente certus esse potest? Quis non semper metu suspensus hærebit, ne alter sentiat aliud, quam quod verba ex primæva institutione & communi

velut e pacto indigitant. Huic pacto proinde vim afferunt, qui a communi vocum usu recedentes & nova aut sine necessitate atque alterius consensione, aut etiam declaratione alteri facta, fingunt nomina, atque etiam vernaculæ linguæ peregrinas voces ubique inspergentes risui se ipsos exponunt. Alteri deinde ita loquamur, nostri ut animi sensa liquido ex sermone cognoscere valeat, ut scilicet non tantum verba sed & mentem, cujus verba interpretes existunt, probe possit intelligere. Signum igitur signato respondeat, & sermo, qui animi est signum, conveniat cum animo loquentis.

§. 5.

Quemadmodum vero cuilibet incumbit, ut rerum, de quibus sermonem edere constituit, ipse tales habeat conceptus, qui rebus existunt conformes, & sedulo sibi caveat, ne errores fovens, aliis vendat fumum falsaque pro veris obtrudat: Ita etiam erga omnes veracitati studere tenemur, & mendacium velut rem DEO abominabilem summa cura aversari. Veritatis illa cognitio animæ intelligentis est, sive intellectus; veracitas vero animæ volentis seu appetentis existit operatio. Veracitatis igitur objectum est veritas, sensu præcipue Morali, quo infertur convenientia signorum externorum cum rebus significatis, & animo aliquid significantis. Quapropter veracitas nobis h. l. *habitus* s. *virtus moralis* est *inclinans & perficiens voluntatem in veri amore ejusque designatione per sermonem & externa signa; prout illud honor DEI, reverentia Superiorum, ratio nostri, amor proximi, pacta & negotia ex jure postulant.* Quibus rite positis animi sensa signis liquidis receptoque sermone illis semper aperire tenemur, quibus loquimur, & qui hæc e nobis intelligendi & sciscitandi jus habent. Requisita autem illa ubi non adsunt, nec ullum alteri jus est, nostra resciendi cogitata,

ipsa-

ipsaque veritatis revelatio, tum nobis, tum aliis imprimis Ecclesiæ & Reipublicæ incommodum vel noxam afferre sentiatur; Ibi prudenter per taciturnitatis legem occultare veritatem & possumus & debemus.

§. 6.

Ex eo autem, quod in corrupto hominum statu non omnibus & singulis animi nostri sensa aperire, sed quandoque occultare cogitata nostraque consilia tenemur, nondum mendacio locus relinquitur. Omne enim mendacium, proprie ita dictum, quocunque illud nomine veniat, & quocunque prætextu committatur, vitium est atque peccatum. Nam signum a signato discrepans peccat a norma, adeoque vitium est. Cui si porro accedat pravus affectus fallendi & lædendi proximum, aggravatur peccatum graviusque damnatur. Ex hoc quasi duplicatum describitur *Augustino* L. de Mendac. ad Consent. c.4, *voluntaria falsi enunciatio fallendi causa prolata.* Tria hic in tali mendacio concurrunt, nimirum ut falsum sit aut putetur, quod enunciatur, ut adsit voluntas falsum enunciandi, atque fallendi intentio. Ipsa autē jam mentiendi intentio Deo & hominum Naturæ adversatur. Deo, qui Veritas est & hominem ad sui imaginem condidit ἐν ὁσιότητι τῆς ἀληθείας Col. III.10.; Naturæ, quæ loquelam homini concessit, ad mentis cogitata alteri aperienda, non ad fallendum & lædendum mendacio proximum. Humani vero generis implacabilis ille hostis hanc DEI Naturæque ordinationem, mendacium introducens, pervertit. Joh. VIII. 44. Nec solæ illud Scripturæ, veritatem commendantes, interdicunt, sed naturaliter illud vitium exosum est ipsis quoque ethnicis. Quapropter Philosophus l.4. ad Nicom. c.7. ex rei veritate ait: καθ᾽ αὑτὸ δὲ μὲν ψεῦδος φαῦλον τε καὶ ψεκτόν i. e. *Mendacium per se pravum est, & vituperio dignum.* Ex quibus apparet, non multo melius menda-

 cium

cium in *bonum* & *malum* distingui, quam forte peccatum, furtum & adulterium &c. vel bonum vel malum dicetur. Facile quidem largimur, vulgo nominari sæpe mendacium, quod vere tale non est; sed ea propter res potius a vitiosa & odiosa appellatione erunt liberandæ, quam nomina mutanda vitiorũ in nomina virtutum. Nemo, qui alterius refert mendacium historice, mendacium committere dicitur, aut mendax audit. Sic figuratæ locutiones, apologi, fabulæ, comœdiæ & joci alii liberales mendacio facile eximuntur, ubi audienti constat, illa esse talia, honestumque alium sensum & finem verbis intendi; Tunc enim quasi ex pacto verba a literali & propria significatione transferuntur ad aliud exprimendum. Quæcunque vero in sermone vitiosa sunt & manent, mendacii nomen retineant; estque illud ex vulgata distinctione vel *perniciosum*, quod nocendi, vel *officiosum*, quod juvandi, vel *jocosum*, quod delectandi animo profertur. Quæ denominationes faciunt tum ad denotandos mendacii gradus, tum ad mentientium fines animosque exprimendos, & utiliter retinentur. V. *Gerhardus* LL.CC. T. 3. de Lege §. 176. *Rudranffius* Inst. Mor. p. 261. Cum autem triplici ex hoc mendacio nullum existat, quod rebus & personis suum tribuat, & fallendi nota careat; nullum, in quo contra Matth. V. 37. verum pro falso, falsumque pro vero non enuncietur, quodve eum, cui loquimur, quandoque & tertium imo loquentem ipsum (qui veritatem deserit, fidem amittit, & se reum agit judicii divini Matth. XII. 36.) graviter non lædat; Omne fugiendum est. Saltem, ut conscientiæ consulamus, tutior est abstinentia a tali mendacio, cum certus sim, me sic non peccare, tutius vero ut eligam consultum est; & melius est non peccare, quam peccati veniam quærere, etsi quæsitam facile impetres. Quæ vero alias pro mendacio bono & mentiendi prudentia & virtute afferuntur, & exemplis quibus-

dam

dam Scripturæ suffulciuntur, facile eliduntur effato Apostoli Rom. III. 8. *Non facienda esse mala, ut eveniant bona.* Nec Scripturæ exempla regulam constituunt, sed ad regulam sunt examinanda, quod fecerunt *Gerhardus* LL. CC. T. 3. de lege §. 176. *J. A. Osiander* Coll. Syst. P. V. p. 437. *Rudrauffius* l. c. *Rivetus* T. I. Op. p. 1435. *Casp. Sibelius* T. I. Op. p. 52. *Bonfrerius* in Gen. p. 242. aliique. Non ergo sequitur: Per mendacium quandoque bonum potest promoveri, ergo eo casu est licitum & bonum, ac æquo jure, amplectendum. Nam etiam per furtum, per homicidium & adulterium &c. alter alteri prodesse quandoque potest, quæ tamen inde non bona fiunt. Nec ob bonum finem mala sunt facienda. Mendacium vero in se malum esse, ipsi gentiles agnoverunt. Ex his etiam patere potest, quid de simulatione & dissimulatione, æquivocatione atque reservatione mentali sit habendum: Videlicet in casu communi idem quod de mendacio; quod enim mendacium in verbis, illud simulatio & dissimulatio est in factis. Minus igitur humanum nedum Christianum illud est Machiavelli Politiæ præceptum: *Simula, dissimula* &c. In casibus vero specialibus isti examinandi sunt actus; ac prout indifferentes sunt, & ex instituto, pacto aut conventione nihil certi declarant, sed libertati relinquuntur judicia intuentium: cum mendacio proprie ita dicto nihil habent commune; quod in stratagematibus aliisque actibus præsertim exploratoriis & correctoriis observandum venit. Nam hostes non mendaciis sed armis vincendi sunt, corripiendi & puniendi. Æquivocationes autem & reservationes mentales Jesuiticæ, quas ipse detestatur *Sam. Pufendorffius* in Jure Nat. & Gent. L. IV. C. 1. §. 14. p. m. 402. nihil differunt a mendacio.

§. 7.

§. 7.

Quæ cum ita ſint, veracitati in omnibus & erga omnes in verbis atque factis eſt ſtudendum. In quo præterea ſtudio *nos ipſos*, oportet, intueamur, *& eos, ad quos ſermonem dirigimus.* Quæ conſideratio monita ſuggerit optima & utilisſima, quorum aliqua curſim tantum & breviter attingimus. Nos ipſos intueamur, ut expendamus, quid nos deceat, *quid*, *quomodo* & *quo fine* loqui inſtituerimus. Primo igitur illud probe videtur attendendum, ut verba, antequam illa fundamus, in animo probe verſemur. Deinde de nobis ipſis *moderate* ut ſentire, ita & loqui decet. Videſis *Balthaſ. Gratiani* l'homme de Cour traduit par le Sieur Amelot de la HouſſaieEd. Pariſ.1684.p.122.: De aliis vero *honeſte*, prout id illorum virtutes & merita poſtulant, nec nimiis laudibus ulli adblandiendo, nec vituperiis ſine cauſa quenquam lacerando. Famam enim aliorum noſtris ſermonibus rodere tam impium eſt, quam Chriſtianum & generoſum, iis parcere, qui ingrato ſermone nos citra meritum laceſſunt. Præterea etiam *modeſte* in converſatione nos geramus, decet, ne aliis ſemper & cum pertinacia obloquamur, aut alieni ſermonis filum ipſi incaute & imprudenter abrumpamus, ſed alios quoque audiamus, eorumque verba reverenter excipiamus, & ad illa prudenter rurſus reſpondeamus, non vero illiberaliter in riſum & jocum convertamus. Quanquam & joco quandoque locus eſſe poſſit in verbis feſtivis, quæ ſapientiæ ſale adſperſa neminem lædunt, & auditorem delectant. Omnia tamen ſuo loco & tempori reſervanda ſunt, & ſcurrilia nunquam admittenda. Prudenter & caute inſuper loquelam edere ſtudeamus, probe attendentes, de quibus & ad quos ſermo dirigitur. Ad prudentiam pertinet, ut ſemper reſpiciamus, quem finem noſtra oratio ſibi habeat propoſitum. Is cum ubique noſtrum & proximi emolumentum eſſe debeat, ut

illum

illum assequamur, omnis opera nobis est adhibenda. Sed quia proximus amicis nostris institutionibus vix locum apud se relinqueret, nisi ipse de nostro eoque sincero affectu probe sit instructus, sedulo spectandum est, ut amica insinuatione & persuasione ejus animum demulceamus, sic enim argumenta, pondere non carentia, illum eo melius de nostri sermonis veritate convincent. Hinc illa urbanitatis & humanitatis officia in salutando (quæ Gallis Compliments audiunt) non promiscue sunt repudianda. V. *Auctor* libri Gallici, qui inscribitur: Reflexions sur cequi peut plaire ou deplaire dans le commerce du monde, editi Parisiis an. 1689, p. 15. sqq.

§. 8.

Summa jam urget necessitas, ut etiam eorum habeamus rationem, ad quos sermo dirigitur, an scilicet illi superiores, an æquales, an amici, an inimici, an hostes publici, an inferiores & subditi, an auditores, discipuli &c. existant; quo enim obligationis vinculo iis continemur, ea ratione sermonem cum illis miscere decenter studeamus. Hinc characteres cujusque & mores observandi sunt cum stylo, qui dicitur vulgo curiæ & differt a loquendi modis, qui inter æquales &c. obtinent.

§. 9.

Etsi summis in orbe Principibus tenuis noster calamus normam non potest præscribere, juxta quam Illi sermones forment; Summorum tamen Regum exemplis docemur, tria præsertim in sermone Principum attendi: *Sapientiam* nimirum, *Majestatem* & *Clementiam.* Cum enim Potentum verba oracula sint subditorum, illa insigni pollere sapientia advertuntur 2. Sam. XIV. 20. Hinc quo breviores Principum sermones, eo nervosiores & sapientia uberiores: Os vero Regium, quod majestas & clementia exornat, & timetur, & amatur. 2. Sam. XIV. 17. 1. Reg. XX. 31.

 Prin-

Principes in sermone, tres has virtutes spirante, sedulo imitantur Legati, & supremi aulæ ministri, dum illi Principis locum & splendorem tenent. Subditorum vero ad Regum pedes advolutorum orationes nihil tam commendat, quam humilitas & subjectissima devotio, qua Divinæ majestatis imaginem Potentibus concessam, nec timide, nec temere, bene tamen submisse venerantur.

§. 10.

Theologorum & Ecclesiæ ministrorum officia & virtutes in sermone admirari semper magis cupimus, quam rimari. Deus per ipsos loquitur, & ipsi per DEUM, qui os dedit, verbum dedit, mandatum dedit, & est cum ore ipsorum & docet, quid loqui debeant. Ex. IV. 11. 12. Hinc advertas in verbis legatorum DEI sanctitatem, potentiam, & prudentiam in gravitate & lenitate cum multa mansuetudine & patientia. Idque non potest non gratum esse illis, qui se sacris studiis consecrarunt, ut etiam ipsi discant loqui; gratum est mandatum: Disce loqui, & quidem verbo Divino convenienter. 1. Pet. IV. 11. ὡς ἐξουσίαν, Matth. VII. 29. Salutariter recte verbum veritatis dividendo. 2. Tim. II. 15. & applicando. Tit. I. 9. II. 1. sqq. & intrepide pronunciando, Es. XIII. 2. Disce loqui quavis oratione pie & prudenter, ut te salves & qui te audiunt. 1. Tim. IV. 16. Verbo: Disce loqui, ut qui te audiunt, Deum audiant. Luc. X. 16. Quid vero si nobis cum Theologis agendum & loquendum est? His sanctis DEI ministris in pietate & sanctitate sermonis respondere debent ii, qui *cum illis* agunt & loquuntur, aut *de illis* sermocinantur, & cavere sibi, ne pravis & temerariis judiciis eos onerent. Verum est, hos mysteriorum dispensatores dona DEI in fragilibus vasis gestare, & quandoque eorum doctrinæ non respondere vitam, haud exiguo sæpe auditorum offendiculo. Nec tamen propter-

ea

ra eorum officium repudiandum, aut doctrina traducenda est, tanquam Theologia falsa. Quod proh dolor! multis hodie in ore est. Utrinque est, quod gemimus. O etiam tandem aliquando ii, qui sacris studiis se tradiderunt atque officiis admoti sunt, agnoscant, quantam impietate sua, dilacerandi opus Domini, praebeant sive bonis, sive malis, occasionem, & se corrigant. Hoc enim a summis viris edocti sumus; quod eminentiori sensu is audiat *verus Theologus & DEI Minister* (ein rechtschaffener Theologus und Prediger) qui veram tenet proponitque doctrinam & vita adimplet.

§. 11.

In Judiciis omnis sermo ante omnia veritatem requirit, Cum enim supremum Numen suam ibi sedem habeat, quod cordis intima perscrutatur, quis ausit mendacium in ejus conspectum producere? Judices verum a falso dignoscant, mansuetudinis & lenitatis amantes pro amica, quantum fieri potest, laborent litigantium compositione; partibus, se bene velle, insinuent, eorum amorem cum fiducia conjunctum sibi concilient, &, si justitia est exercenda, ita puniant, ut legum transgressores non tam se punitos sentiant, quam jure castigatos agnoscant, confiteantur, seque emendent. Vt brevibus quid velim dicam: Judices, veritati & Justitiae studiosi, ne bos ipsis in lingua sedeat, vel jus injuriam patiatur, sedulo sibi caveant. Testes pro rei veritate non ad proximum sine causa affligendum, coram DEI facie, quae omnia videt, dicant testimonia. Nec Rei quidem crimen iis vere oblatum negent, sed veritatem confitentes DEI gloriam promoveant, Jos. VII. 19. Quae ipsa veritas Causarum Patronis in omni foro & quavis causa, sive per literas agant, sive vivo sermone clientibus adsint, commendatissima est, & esse debet. V. *Puffendorffii* Jus N. L. IV. c. 1. §. 21. p. 412. & *Chr. Thomasii* Annot. ad Melch. von Ossen

Testam. c. XVI. p. 457. von Advocaten. Ubi pessimæ moræ, quæ a perversis quibusdam Rabulis justitiæ objiciuntur, quorundam pigritia in negligendis Diebus dictis, aliorum avaritia, qua clientes non quidem tondent sed plane deglubunt &c. justa partim infamiæ pœna partim mulcta quadam afficiendæ censentur.

§. 12.

Inter æquales in sermone Sapientia opus est & Prudentia & Comitate. Duabus prioribus virtutibus, quæ præmeditati sumus, circumspecte eloqui discamus. Comitate vero omnibus jucundi acceptique existamus. Illa comitas resplendebit ex affabilitate in salutando: Nulla quippe gratia minoris constat, quam quæ salutationibus emitur. Huic se proxime jungit comitas in respondendo, ut omnibus servientes, cum Tito Vespasiano, quantum fieri potest, neminem nostro e conspectu tristem dimittatamus. Comitas porro in reprehendendo eluceat, ut quemadmodum corporum vulnera, ita animarum labes in proximo molliter tractemus. Amice enim retundentem & benigne corripientem pii, quandoque impingentes, cum Davide diligunt. Ps. CXLI. 5.

§. 13.

In amicorum sermone Fides regnet & Constantia. Tolle fidem & omnis societas humana corruet. Abroga constantiam; & quid tunc amicitiæ eveniet? Promissa ut omnibus sunt servanda, ita præcipue amicis. Ut vero amicis omnia animi secreta aperiamus, quæ nihil ad ipsos pertinent, nec jus amicitiæ postulat, nec prudentia suadet. Vid. cit. liber Gall. Reflexions sur cequi peut plaire &c. p. 20. Inimicis autem amico sermone occurrere malis, quem certare conviciis, e quibus nullum emolumentum ad te redire potest. Et illud tandem fortis animi est, maledicta perpeti, nec, referre. Publicos autem hostes Eccle-

siæ

siæ & Reip. quod attinet, si amicis persuasionibus locum dare nolint, sunt relinquendi iis, qui præsunt Ecclesiæ & Reipublicæ, non vero a privatis sunt onerandi contumeliis & exacerbandi.

§. 14.

Docentes commendat Prudentia, Candor & Fidelitas. Sic auditores ad sapientiæ studium grata quasi esca alliciuntur, si probe cognitum habeant, doctores, non quæ ipsis in buccam venerint, pro vero tradere, sed quæ adhibita sedula meditatione vera agnoverint, summa fide & candore exponere, quasi ex speciali pacto quod docentes inter & discentes est. Legi merentur *Chr. Thomasii* Annot. cit. ad Melchioris von Ossen Testamentum C. III. p. 146. quo loco *Schuppii* lepidæ citantur meditationes de illo, quod olim perverse in Academiis obtinuit, ubi docentes nonnulli, quæ per plagium literarium ex alienis operibus conscripserant, in calamum auditoribus tradiderunt eaque pro novis venditarunt. Auditores autem & discipuli docentium favorem sibi comparant, si modestia, reverentia & singulare discendi studium eorum verba condiat.

§. 15.

Denique hoc caput finientibus pauciloquium venit commendandum. Quid enim prodest multa garrire si nullum pondus verbis insit? Duas natura aures, unam accepimus linguam, ut plura semper audiamus, quam loquamur. Xenocratem in medium producere liceat, qui in convivio rogatus: Cur omnium unus sileret? Quoniam, dixit, locutum fuisse pœnituit aliquando, siluisse nunquam V. *Sibelii* Op. T. I. p. 377. Multa enim locutum fuisse feram interdum pœnitentiam comitem habet, si vel per πολυπραγμοσύνην aliis nos immiscemus negotiis, vel quæ nobis, novitates venantibus, forsan falso de proximo relata sunt, statim referimus aliis. Suavissima enim illa Charitatis lex nos jubet,

bet, ut, quantum per Christianismi nostrique officii rationem fieri potest, quæ dubio sermone in proximum conflantur delicta, modeste aut excusemus, aut si nimis sint manifesta, silentio prætereamus, quam ut eadem recoquendo aliisque divulgando, hominem, nobis fraterno amore junctum, publico exponamus opprobrio. Tandem illud videndum, non quam multa multis, sed quam multa paucis quisque mortalium proferat.

CAP. III.

Exhibens Imperativum: DISCE LOQUI in Schola Artis.

§. 1.

IN Artis schola, quam Tibi, Candide Lector, hoc capite sistimus, illam intelligimus Artem, qua homo mentis suæ cogitata rite formata & bene ordinata concinna & ornata eloquentia tam interna quam externa proferre docetur.

§. 2.

Ex illa ipsa instituti nostri explanatione hac luce clarius est, nullam nos in hoc Capite ejus rationem esse habituros, quod de arte loquendi per digitos atque nutum *Joh. Bulwerus*, Anglus quidam & ex eo *Harsdörfferus* in seinem Gespräch-Spiel und im teutschen Secretario recensuit, quodque nec inter Antiquos Ovidio, amorum magistro, qui hanc amantium vocat linguam, fuit ignotum.

§. 3.

Tacemus insuper, quæ de *MEMNONIS STATUA* ex quorundam opinione locuta, ex quorundam sententia sonum dante collegit *Freinshemius* Annot. ad Qu. Curt. L. IV. c. VIII. §. 3; Quæque *Morinus* l. c. p. 11. de *STATUA* Monachi cujusdam Germani

mani tradidit, quam omnibus corporis humani membris instru-ctam sine vita vitales actiones edidisse ferunt; Mittimus, quæ de *Stentore*, clamoso illo tubicine in exercitu Græcorum *Homerus* Iliad. E. v. 786. profert:

Ὃς τόσον αὐδήσας, χ' ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα;

Non addimus, quæ de more per ignes, ut in Helvetia pariter ac in regionibus maritimis durch die Strand- und Wacht-Feuer, per tormentorum explosionem, per vexillorum colorem, submissionem & erectionem atque per tympanorum & tibiarum usum, in exercitu, &c. periculum indicandi & imperatorum mandata vel aliam quamcunque rem proximo vel militibus aperiendi, imo cum hostibus etiam communicandi, hic forent commemoranda. Et Benevolum præterea Lectorem, de arte eximia curiosum, qua Hispanus quidam Monachus *Petrus Pontius* surdum natu & hinc mutum eo perduxisse fertur, ut solo visu mediante in quacunque lingua loquentes intelligere, & una aliqua lingua ex informatione sibi cognita loqui potuerit, ablegamus ad *Joh. Conr. Ammani* surdum Loquentem & *Morhoffii* Polyhist. L. II. c. 3. p. 369.

§. 4.

His & ejusmodi aliis artificiosis inventis, sonis & modis signandi & docendi surdos & mutos linguam, quam aut intelligant aut loquantur, non immorabimur, sed nostræ quod est Artis Oratoriæ persequemur. Ut vero in omni loquela proprie dictâ *Ratio* requiritur, quæ orationem prius in animo format: Ita hæc præcipue suo fungi munere debet in Arte Loquendi. Illud ergo Rectæ Rationis munus pluribus exponitur in Arte Logica, quæ Oratori quoque existit magistra. Hæc docet loqui *distincte*, eaque manuducente sedulus studiosus omnes nervos intendat, ut ante omnia rerum, quæcunque ejus cogitationes subeunt, accu-

ratam

ratam ex causis sibi formet cognitionem, circumstantias, quoad potest, omnes vel saltem præcipuas colligat, sepositaque ambiguitate & repudiato pernicioso autoritatis, affectuum, animi temperiei & consuetudinis præjudicio, exinde rei conceptum veritati convenientissimum eruat. Ne vero animi cogitata rite concepta in lato quasi campo divagentur, sedulo ipsi erit prospiciendum, ut sensa mentis accuratis enunciationibus & rerum definitionibus aut adæquatis saltem descriptionibus includat, & omnia ad suas, quorsum pertinent, referat disciplinas. In his enim versatus esse debet, qui loqui discere cupit. Nam qui non multum didicit & scit, non multum etiam loqui poterit.

§. 5.

His observatis ille labor non multa laborans difficultate accedat, quo hujus Artis Studiosus sensa mentis rite digesta *perspicue* eloquatur. Terminos igitur præprimis sibi cognitos reddat, quibus eruditi suas cogitationes aliis communes reddere consueverunt; Subjecto Prædicatum & illi quidem convenientissimo apte jungat, &, qui modus inter eruditos maxime obtinuit, Syllogismo, recte constructo & medio termino, rem penitus exhauriente, suæ sententiæ robur & pondus adjiciat. Ubi tamen præcipitantia nimiæque tavtologiæ cum reliquis vitiis qui sermonem obscurum reddere possunt, fugiendæ, & methodi potius, quam *Buddeus* Phil. Instr. p. 259. sqq. scite commendat atque exponit summa ratio erit habenda.

§. 6.

Sed hæc pro temporis & chartæ modulo leviter tantum attingere licuit; plura restant non omittenda. Ad aliud ergo progredimur præceptum, quod Artis schola nobis injungere videtur: Disce *ornate* loqui. Nemo non animadvertit, cardinem in eo

ver-

versari omnis Oratoriæ. Hoc studium est, quod telam, quam Logica texere incepit, variis suis coloribus egregie pingit. Logices artificium præcedit, Oratoriæ ornatus sequitur. Sic omnis bonus Orator est bonus Logicus, utut non semper bonus Logicus sit bonus Orator.

§. 7.

Qui vero in arte *Ornate* loquendi aliis palmam præripere cupit, post eruditam inventionem & artis plenam dispositionem, ante omnia linguæ, in qua sermones edere constituit, vires, idiotismos, phrases & constructionis ordinem recte cognita habeat, necesse est. Quæ cum probe edoctus sit, omnem illuc intendat operam, ut eleganti connexione etiam illa, quæ sibi pugnare videntur, conjungat, ita tamen, quod artis est, ut artem ubique celare noverit. Singula si quidem verba judiciosa copulatione in Periodos excreverint, novo tunc labore opus erit, ut illæ Periodi in sua membra ordinentur, componantur, artificiose amplificentur & numero ornentur, variisque signis, quæ eruditi excogitarunt, scite interpositis bene distinguantur.

§. 8.

Elegantiis insuper oratoriis qui orationem suam exornare non laborat, sterilem campum nobis exhibet, frumento, floribus herbisque destitutum. Hinc ipsa necessitas urget, ut, qui eloquentiæ studet, in juventute flores oratorios, quales sunt jucunda adagia, notabilia exempla, grata similia, judiciosa apophthegmata, symbola, emblemata, & quæ porro orationi decus afferunt, sedulo colligat, quo, ita ferente occasione, habeat, quod per figuras & tropos huic rei accommodatos, sermoni suo intexere valeat. Id tamen iterum iterumque cavendum, ne nimio ejusmodi elegantiarum oratoriarum usu sibi molestiam quis faciat, auditori vero nauseam. Condiri his debet oratio, ut cibus aromatibus, non oppleri: Et

E stu-

studendum, ut ea semper eligat, quæ materiæ, de qua disserere constituit, sunt convenientissima, ad secundum Poëtæ effatum:

Omne ferat punctum, cum misceat utile dulci.

§. 9.

Qui autem suis verbis pondus vult addere, artem affectus movendi, probe sit edoctus. Nihil enim tantum nobis conciliat assensum, & tam gratum relinquit effectum, quam sermo ad intima animi penetralia per affectuum vivam repræsentationem pertingens, animumque stimulans. Viderunt hoc in oratoria arte exercitatissimi Viri, & veteres Oratores Græci & Latini atque exposuerunt. V. *Ch. Schraderus* Com. ad Aristotelis Libr. 2. Rhet. p 198. Uberius de ista affectuum doctrina & quam elegantissime egit *Chr. Weisius* in Orat. Pol. p. 889. sqq. qui *Valentini Thilonis* in Pathologia methodum secutus, affectus plerosque omnes eorumque indolem aperuit, &, quomodo facta exaggeratione objecti, sint movendi, exemplis docuit. Quem præceptorem suum Prænobiliss. D. *Godofr. Langius* in der Einleitung zur Oratorie p. 50. sqq. felicissime & quasi vivum exprimit, & in hac doctrina præcipue requirit, ut, affectus indole probe cognita, objectum movens affectum vivis depingatur coloribus, ac subinde consectaria inde docta eruantur; Et Hunc eo lubentius hic præ aliis omnibus nomino, ejusque præcepta suspicio, quod in tanto, quo hodie apud Lipsienses VIR EXCELL. fulget, honorum fastigio, Parenti meo amicissimus sit semperque fuerit, Ejusque in me etiam derivare favorem filiali obsequio desiderem enixissimeque contendam.

§. 10.

Ad ornatam loquelam multum confert imo utramque paginam ornatæ orationis facit styli puritas, æqualitas & rectitudo, tempori, loco personis & rebus accommodanda: Et per Eupho-

Euphoniam tandem omnem nos decet movere lapidem, ut numeri nervosa & æquali rotunditate sermoni nostro decus comparemus & ornamentum; qua de re, ut & de styli ratione atque variatione plura legi poterunt in *Joh. Hübneri* Quæst. Oratoriis p. 271. sqq. *Menantis* Orat. p. 2. sqq. *Ubsii* Instit. Orat. L. IV. S. III.

§. 11.

Media, quibus ad dictionem puram ornatamque contendamus, sunt *Lectio* optimorum Autorum & *Imitatio*. Lectione nobis acquirimus & rerum cognitionem, & verborum copiam. Cui accedat, necesse est, excerpendi studium. Quinam vero legendi, qua ratione, & quo ordine, tradidit pluribus *J. Schefferus* de Stylo. p. 30. sqq. & *Cellarius* disp. pec. Ita enim lectio instituenda est, quod *Morhoff* in Polyh. L. I. c. 23. §. 11. & L. II. c. 13. §. 11. sqq. satis prudenter monet, ne promiscua Autorum lectione styli maximæ confusioni fenestram aperiamus, sed ut contra ad legendum & imitandum optima quæque nobis proponamus. De excerpendi studio est, ut consulamus Libellos de arte excerpendi, ex quibus laudamus *Vinc. Placcii* libr. de arte excerp. & *Casp. Sagittarii* Comm. de modis excerpendi. Quippe hoc excerpendi &, quæ legimus ac notavimus, imitandi studio, felicissime omnia in succum & sanguinem convertuntur. Quomodo vero quis imitationem instituere, seque, frequenter scribendo, exercere debeat, & cum fructu possit, prolixe docet supra laudatus *Schefferus* l. c. p. 161. sqq. conf. *Christ. Weisius* in Or. Pol. c. 2. p. 16. seqq.

§. 12.

Nec Poëtarum lectio & in Poësi exercitatio prorsus negligenda est. Nam & Poëtæ multum conferunt cum ad puritatem linguæ, tum ad ornatum; & poëseos exercitatione non parum judicium acuitur, & Euphonia in numero oratorio perficitur. Arctis tamen limitibus illud poëseos studium est circumscribendum,

ne scilicet in illa multorum vitia incurrere videamur, qui, quod in ligata licet, solutæ orationi solent immiscere, & hoc modo styli inæqualitatem inferunt orationi, atque lectori tædium sæpe non exiguum afferunt.

§. 13.

Sermonem igitur, ratione internæ constitutionis ex artis schola fluentem, cum rudi admodum penicillo hactenus adumbraverimus, paucis dispiciendum restat, quid in Oratoria externa, seu circa sermonem externe proferendum Artis Imperativus: *Disce Loqui*, nobis injungat, *Elocutionem* scilicet & *Actionem*. Illa voces format, hæc corporis motum instruit. Elocutione docemur, quam præmeditati sumus orationem grato sermone & accentu, materiæ, de qua loquimur, accommodato proferre. Si quis igitur Auditoribus placere cupit, ante omnia suos sermones grata pronunciatione, distincta videlicet, suavi & clara voce, proferat, necesse est, ne scilicet nimium clamando agat circumforaneum, neve vocem nimium deprimendo susurrum faciat non satis intelligibilem. Quapropter caveas, ne vel ultimam syllabam absorbendo, vel molesta adjectione vocabula syllabis, justo pluribus, augendo auditori te reddas quam molestissimum. Medium tenuere beati. Beati etiam illi, & felices, qui inde a prima juventute vocum emphasin ponderare, & justum in locum accentus conjicere didicerunt. Optima oratio nihil ponderis habet, nisi pondus, ubi verba illud requirunt, accentu ipsi adjiciatur. Disce etiam Actionem, verbis convenientem, adjungere in corporis motu, nutu & gestu. Pietas & modestia corpus dirigit, quæ caput paullisper elevatum submisse declinare nos jubet, quando in DEUM & res Divinas Principem atque Magnates sermo incidit. Parrhesia & interna affectio gubernat in oratione humani corporis motus gestusque & in hilari & casu tristi. Sicut enim cogitationem expressio, sic expressionem excipit prudens & moderatus gestuum usus. Hinc dicitur: *Si vis, me flere, dolendum tibi ipsi primum est.* Proinde vultus, pro indole affectus & verborum, jam artificiose mutandus est; mox oculi in cœlum attollendi, mox dextra atque sinistra est sublevanda &c. Quid? quod nec Orator statuæ instar, loco affixus hærere debeat, quem potius quandoque decet, passum unum vel alterum progredi aut recedere.

Omnes

Omnes tamen motus gestusque humani corporis ex naturali ductu profluant, cum per infelicem affectationem gratia ubique pereat; & illud cavendum venit, ne gesticulatione nimia risui nos exponamus, dum omne nimium jure in vitium vertitur.

§. 14.

Sed cum pro sapienti effato *Plinii* L. VIII. Ep. 14. difficile sit, retinere, quæ acceperis, nisi exerceas; Artis Schola nobis per *Ciceronem* 1. Thusc. C. 18. illud Græcorum acclamat: ἔρδοι τις, ἣν ἕκαςος εἰδείη τέχνην. *Quam quisquis norit artem, in illa se exerceat.* Scholæ discimus & vitæ: Hinc quadruplicem eloquentiam institutionibus atque exercitio nobis comparandam esse constat: *Scholasticam* scilicet, *Politicam*, *Ecclesiasticam* & *Mixtam*. Scholasticæ qui operam navant eloquentiæ, nullam diem sine linea transire patientes, declamationibus, allocutionibus, orationibus &c. linguam sibi volubilem & ipso usu eruditam reddere tentant. Huc spectant Dramata illa comica, non omni laude privanda, quia illis juvenum memoria excolitur, Parrhesia ipsis conciliatur, timiditas eximitur, & modus, rem ad vivum exprimendi notus redditur. Eloquentiæ insuper Scholasticæ Disputatoria annumerantur exercitia, quæ, quantum conferant ad excitandum ingenium & acuendum judicium & ad linguam cum promte movendam, tum caute regendam & in tramite veritatis retinendam, dici vix potest. Quomodo autem illa instituenda sint & habenda, suo loco traditur & felicius in Collegiis Disputatoriis e praxi discitur, quam ex præceptis & regulis seorsim & sine exercitio traditis.

§. 15.

Politicæ etiam orationes cum ferme semper ex tempore & sine ulteriori præparatione sint habendæ, linguæ profecto ubertas diuturno exercitio nobis est comparanda. Nonnullæ earum in Aula habentur, nonnullæ in foro & actu civili. Ubique tamen in ejusmodi sermonibus Politicis, scitis & nitidis, illud spectandum est, quod inveterata consuetudo in eo loco, quo oratorem agis, introduxit, ne scilicet vel ignorantiæ, vel Pedantismi notam incurras. Stylus, qui in ejusmodi orationibus occurrit, Stylus vocatur Curiæ, & ille ante omnia sedulam titulorum cu-

ram ſolet requirere. Auditorum namque animi a nobis plerumque avertuntur, niſi, pro officiorum & meritorum ratione, juſtis illos titulis ſuſpiciamus & compellemus. Vid. ea de re Celeberrimus ille *C. Weiſius* l. c. p. 193. Præcipue vero in his conſulendi ſunt Libri titulorum, & *Joh. Chriſt. Lünigs* Europäiſches Cantzley-Ceremoniel, aliique. Præſtat vero in caſu dubio titulis, paulisper excedamus, quam eosdem minuentes, auditori nos reddamus inviſos.

§. 16.

Sacris qui ſtudiis ſe tradiderunt, ut in optimo ætatis flore crebris mox exercitiis eloquentiam ſibi comparent, ſuaſores exiſtunt Viri in hac arte exercitatiſſimi. Et cum in Cathedra Eccleſiaſtica & extra Cathedram multi occurrant caſus, quibus Verbi Divini Miniſter loqui debet ἐν ἐξουσίᾳ καὶ παῤῥησίᾳ ſcil. pœnitentes admonendo & abſolvendo, inimicos conciliando, moribundos & illos etiam, qui capitis ſupplicium ſubituri ſunt, ad mortem præparando &c. nec non in ſponſalibus, in nuptiis, ad baptismum infantum &c. peculiariter futuros Eccleſiæ miniſtros inſtruunt *D. Joh. Fr. Mayerus* in Muſæo miniſtri Eccleſiæ, *M. Nic. Haaſius* im Geiſtl. Redner, *D. Güntherus* aliique in Paſtoralibus &c.

§. 17.

Sunt vero & aliæ Orationes, quas Politici & alii cum V. D. Miniſtris communes habent. Illæ ex mente *Hübneri* l. c. ad Eloquentiam pertinent *Mixtam*, quorſum communiter Parentationes, vitæ Curricula, Inſcriptiones, & Carmina &c. referuntur. Sed noſtri propoſiti nunc non eſt, nec hujus chartæ ſpatii, ut Oratoria aut Poetica ... accumulemus præcepta, quapropter eos, qui de Eloquentia ... uberius aliquid legere volunt, ad *D. Godofr. Langii* aliorumque Libros l. c. ablegamus.

§. 18.

Atque hæc ſunt, quæ in explanatione Imperativi: DISCE LOQUI; in medium afferre volui. Excutere omnia, cum brevitati ubique ſtudendum fuerit, non potui, nec valui. Sed etiamnum me harum valde laudatarum Scholarum Diſcipulum ingenue profiteor, cui æque ac aliis ſemper commendatisſimum illud erit: DISCE LOQVI in

SOLIVS DEI GLORIAM.

